

**De instinctu sexuali eiusque natura atque causis : dissertatio physiologica
... / auctor Otto Theoph. Joan. Mohnike.**

Contributors

Mohnike, Otto Theophil Johann.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Feisterianis, 1837.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qw8vyz7a>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
**INSTINCTU SEXUALI EIUSQUE
NATURA ATQUE CAUSIS.**

DISSERTATIO

PHYSIOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

**UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA
GUILIELMA BEROLINENSI**

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIII. MENS. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICAE DEFENDET

AUCTOR

OTTO THEOPH. JOAN. MOHNIKE.

SUNDENSIS.

OPPONENTIBUS:

G. ENGELBRECHT, MED. ET CHIR. D.

C. SAUERMANN, MED. ET CHIR. D.

A. BENGELSDORF, MED. ET CHIR. D.

BEROLINI,

TYPIS FEISTERIANIS.

Aeneadum genitrix, hominum divumque voluptas,
Alma Venus, coeli subter labentia signa
Quae mare navigerum, quae terras frugiferentis
Concelebras — — — — —

— — — — —
— — — — —
Nam simul ac species patefacta'st verna diei,
Et referata viget genitabilis aura FavonJ;
Aeriae primum volucres te, diva, tuumque
Significant initum percussae corda tua vi.
Inde ferae pecudes persultant pabula laeta,
Et rapides tranant amneis; ita capta lepore,
Illecebrisque tuis omnis natura animantum
Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis.
Denique per maria ac monteis, fluviosque rapaceis,
Frondiferasque domos avium, camposque virentis
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis ut cupide generatim saecula propagent. —

T. Lucretius Carus

de rerum natura.

A V O

CARISSIMO DILECTISSIMO

CONR. PHILIPPO A STUCKER,

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO
APUD GRIMMENSES PRACTICO, PAUCOS POST
MENSES PRAXEOS MEDICAE SEMISAECULARIA
CELEBRATURO**

HASCE PAGELLAS

**SUMMA CUM PIETATE ET VENE-
RATIONE CONSECRAT**

D. D. D.

AUCTOR.

Quibus modis speciem propagandi nisus (instinctus sexualis in omnibus animalibus sexus segregati, coeundi nisus in iis animalibus, quibus ad producendam sobolem organico connubio duorum individuorum, seu copula, qua foecundatio efficiatur, opus est) in animalibus sese manifestet, quibus sub conditionibus quibusque mutationibus physicis et alterationibus eveniat, ubinam et quibus cum differentiis existat, hisce in pagellis, quoad vires sinunt, scrutari et dilucidare conabor.

C A P U T I.

§. 1.

Vita organismi duplice modo se manifestat: complectitur enim vitam singularis individui et vitam speciei per saecula servandae. Hujus ergo notio tum demum constituitur, cum vitarum individuarum seriem, ejus membra deinceps in conspectum prodeunt, uno complectimur obtuitu. Proinde vita speciei supponit vitam individui, illa ex hac tantum potest evolvi. Eo tantum, quod unum individuum in alterius locum continuo succedit, vita sensu latiore, i. e. vita speciei, potest servari. Summa vitae ratio cernitur in existentia, in perseverantia intra certos temporis terminos. Organismus autem, mira illa congeries materiarum viriumque, in quo vita, propriis obtemperans legibus, elementa sese invicem fugientia cogit et repugnantia conjungit, neque in se neque per se continuare potest rupis ad instar vel cujuscunque massae anorganico-chemicae, quam sua tuetur soliditas. Vita, vis, ut existat, omniquoque momento consumit materiam; organismus corrueret, nisi impulsus quidam peculiaris, scilicet instinctus nutritius, inexpugnabile desiderium excitaret, in materiarum consumptarum locum novas, foris acceptas, substituendi, ergo mediante nutritione vim et vitam, sustinendi. Proinde organismus individui conservationem materiis foris acceptis efficit, conservatio autem speciei ex ejus interioribus, propagatione, perficitur, itaque opposita est nutritioni. Ad hanc quo-

que impulsus potentissimus, a natura insitus, instinctus sexualis, sollicitat.

§. 2.

Quemadmodum vita speciei vitam comprehendit sensu latiore, ita instinctus sexualis pro instinctu nutritio, propagatio pro nutritione sensu latiore haberi potest. Multa huic opinioni favent. Instinctus conservandi, ad vitam spectans individuum, prius adest, quam instinctus sexualis. Quodsi organa, huic functioni dicata, apparatus sexualis, summam obtinuerunt vim atque potentiam, vitae individuae flos, multis autem animalibus finis ejusdem, adest. Partes animalium genitales ad organon centrale vitae individuae servandae, tubum intestinalem, reduci possunt. Ipsa propagatio animalium inferiorum sexu carentium in modificato incremento cernitur, et incrementum, nutritionis productum, ad gravissima conservandae vitae individuae momenta pertinet. Sensuum organa, quorum functiones efficaciam praeparantem et mediantem haud mediocrem in nutritionem exserunt, non minus praeparando et mediando in generationem, i. e. propagationis opus, agunt. Quae omnia hisce in pagellis saepius commemorandi, occasio dabitur.

§. 3.

Antequam progrediamur, differentias consideremus necesse est, quae quod ad propagationem apud singulas animalium elasses animadvertuntur, ut, in quibus de propagationis instinctu disseri possit, decernamus.

I. **Sexus nullus;** in superioribus hujus propagandi rationis formis typus cernitur primitivus serioris formationis muliebris: Propagatio efficitur generatione impari, solitaria (generatio monogenea), ita ut individuum ex se ipso novum individuum procreet; quem propagationis modum pro incremento modificato, ad certum quendam organismi materni locum concentrato, habere licet. Formae hujus propagationis sunt:

a) *Generatio fissipara.* Organismus maternus mediante incremento aut potentiis externis aut per fissuras longitudinales (generatio fissipara longitudinalis), aut per transversas (gener. fissip. transversa), aut per fissuras promiscue decurrentes (gener. fissip. promiscua), in partes nova individua constituentes dividitur.

b) *Generatio surcularis.* Velut productum, incrementi, ad singularia organismi materni loca, plerumque ad finem superiorem aut anteriorem, aut versus osculum nutritium concentrati, oriuntur surculi s. stolones, qui primum excrescentias offerunt, paulatim in ramos elongantur, tandem processu organico lento, non semper completo, a materno corpore secedunt, ut nova exhibeant individua. Nonnulli scriptores de propagatione per surculos internos disseruerunt, quae tamen ambigua est. (Cf. Burdach, die Physiologie als Erfahrungswissenschaft. Leipz. 1835. Bd. I. S. 51.)

c) *Generatio per gongylos s. sporas.* In speciebus generationis monogeneae primo et secundo loco positis propagatio velut immediatus incrementi effectus, seu velut generatio accrementitia, evenit. His contraria est generatio per gongylos, tanquam generatio secrementitia, quae quidem eatenus incrementi productum ap-

pellari debet, quatenus gongyli s. sporae per secretionem, qua germen organismi novi, antequam formationem organicam obtinuit, continuitate sua cum materno corpore privatur, evolvuntur, paulatim ad nova individua excoluntur, demum ab organismo materno secedunt. Hic evidentissime typus primitivus serioris formationis muliebri apparet. —

II. Sexualitas. Ad producendum novum individuum actione materiae genitricis virilis (seminis) in materiem genetricem muliebrem praecexistentem, ergo partibus genitalibus masculis et muliebribus, opus est, quae partim materiam illam genetricem sexualiter differentem secernant, partim actionem materiae genitricis virilis in muliebrem efficiant, partim denique (muliebres in animalibus viriparis) individuo recens formato receptaculum praebeant, cui ad vitae spontaneae perfectam evolutionem immorari possit.

Quatenus sexualitas partium genitalium mascularum et muliebrium formatione sese manifestat, hae potissimum varietates notandae sunt:

a) *Hermaphroditismus.* Partes sexuales tam masculae quam muliebres eidem competunt individuo. Propagationis hae sunt differentiae.

1) Unum individuum ad procreanda nova individua sufficit (*αὐτοζυγίς*). —

2) Duo aut plura individua ad propagationem coeunt, ita ut materia genitrix virilis individui unius materiem genetricem alterius foecundet et vice versa.

b) *Sexus segregatus.* Ad proferendum individuum novum opus est duobus parentibus, virili et muliebri,

qui ad foecundationem, id est ad efficiendam actionem materiae genitricis virilis in muliebrem, coëunt. Differentiae notandae sunt hae:

- 1) Foecundatio externa est, ubi masculus, quo tempore materia genitrix muliebris ad foecundationem aptissima est, instinctu sexuali, nec non ubertate atque turgore secreti (seminis) impulsus, materiem genitricem edit eaque ob priorem vel synchronicam materiae genitricis muliebris (ovulorum) cum hac contactum init; vel ex medio quodam semen virile (v. c. ex aqua apud Tritones) per organa sexualia muliebria absorbetur ibique foecundationi materni genitricis non effusae impenditur. Quod ad haec attinet, inter nonnulla tantum animalia coitus locum habere videtur, non habet.
- 2) Foecundatio interna est. Quae ut eveniat, coitu sive copula, i. e. connubio organico duorum individuorum, masculi et muliebris, opus est. Semen virile inter coitum immediate ad partes genitales muliebres pervchitur ibique vivificans in materiem genitricem muliebrem praeformatam agit. Copula notam sublimioris animalium dignitatis praebet.

§. 4.

Multorum animalium propagationem generatione solitaria sexuali effici, in paragrapho superiore exposuimus. Si quis interroget, utrum hisce animalibus subsit iustinctus, qui ad propagationem impellat eamque exigat, negandum illud censemur et de vitae modo illorum animalium disserentes, ad probandam nostram

sententiam haec afferimus. Omnes vitae animalium manifestationes ex necessitatis et spontaneitatis concentu prodire, existimemus necesse est. Quo magis spontaneitas prae necessitate eminet, eo magis illa manifestatio productum sistit conscientiae, quae in regno animali potentissime evolvitur et in genere humano fastigium assequitur. Omnium viventium nota primitiva cernitur in concinnitate, ad hanc enim omnes actiones tam necessitatis quam spontaneitatis in vita animali spectant; cognitio hujus concinnitatis est conscientia. Instinctus vero complectitur manifestationes necessitatis, quae ad conservationem tam vitae individuae, quam vitae speciei, ergo ad nutritionem et propagationem spectant. Quemadmodum autem vitae animalis indoles in eo est, ut et necessitas et spontaneitas vim suam exerceant et pro vario evolutionis gradu vel haec vel illa praevaleat, neutra tamen deficiat aut ab altera supprimatur, ita instinctus animalium velut necessitatis manifestationes, aliquam concinnitatis cognitionem supponunt. Hanc ergo conscientiam, quae ut fundamentalis animae manifestatio, in fastigio demum formationis animalis, in homine scilicet, ad clavam evehitur notionem, omnibus animalibus adscribere debemus, etiamsi eam in multis obscuram et quod ad singula attributa non ubique bene discernentem videmus. Nullam omnino vitam cogitare licebit, nisi illam conscientiam agnoscamus. Hic illud enim nobis obtruditur; quod velut instinctum animale in multiplicitate manifestationum suarum intelligimus. Manifestationes autem instinctus animalis cernuntur in motibus, quorum ex necessitate profectorum concinnitatis aliquam cogni-

tionem animalibus tribuamus necesse est; juxta necessitatem ergo spontaneitatem statuamus oportet. Verum in toto propagationis processu eorum animalium, in quibus generatio solitaria sine sexu locum habet, nullus animalis ipsius motus apparet, qui ad conservationem speciei velut scopum immediatum, referri possit. Propagatio horum animalium tanquam productum incrementi, mediate ex individui conservatione prodiit, sub qua tantummodo ciborum assumptionem pro sequela instinctus, cujus ratio quod ad concinnitatem innotuit animali habere possumus. De propagationis igitur instinctu et ejus manifestationibus proprie apud haecce animalia disseri nequit, quemadmodum enim incrementum et secretio inscie et inconsulto in organismo peraguntur, ita etiam ea, quae ad speciei conservationem necessaria sunt, ope virium corpus continentium peraguntur. (Cf. Treviranus Erscheinungen und Gesetze des organischen Lebens. Bremen 1831. Bd. 1. S. 8 — 17.) —

§. 5.

Animalibus ergo, in quibus generatio solitaria sine sexu locum habet, instinctum sexualem tribuere non licet, quoniam motus ad propagationem directe tendentes, iis desunt, nos autem supra diximus motuum seriem pro criterio instinctus animalis esse habendam. Quibus in animalibus sexualitas existit, sive sit hermaphroditismus, sive sexus segregatus, motus observamus, qui tantummodo ad propagationis negotium spectant. Itaque ex nisu certo, propagationis instinctu, drodeunt. Quod hermaphroditos attinet, in quibus foe-

cundatio spontanea locum habet, corporis motus, quo masculae ad partes genitales muliebres accedunt, in eas penetrant, materiemque genitricem muliebrem praeformatam foecundant, manifestationem instinctus sistit, id est nisum cujus concinnitas in ipso illo motu per animalis conscientiam cognoscitur. In animalibus superioribus sexus segregati, ubi mas et femella invicem sese petunt ad foecunditatem perficiendam, multisque rebus instinctum potentem, qui in eorum corpore expergefactus est, manifestant, omnia multo clarius perspiciuntur. Proinde haec animalia, si de manifestationibus instinctus sexualis sermonem faciemus, plurimum lucis nobis suppeditabunt.

§. 6.

Itaque propagationis instinctus omnes complectitur manifestationes vitae animalis, quae velut necessariae, actui, quo propagatio efficitur, nimirum generationi, in animalibus sexualitate praeditis, antecedunt. Hujus manifestationes habemus instinctum coeundi et foecundandi, prout ad foecundationem vel coitu opus est, vel non est.

§. 7.

Generatio ad speciei conservationem pertinet, quippe qua nova formentur individua, quae in parentum locum succedunt, speciemque repraesentant. In multis autem animalibus, praesertim superioribus, novum individuum primo tempore sine parentum adjumento se sustinere non valet, sed ut vita ejus ad perfectam individualitatem evehatur, parentum cura opus est, quam

isti, instinctu quodam impulsu, cujus manifestationes cum omnibus phaenomenis etiam pro eradiationibus instinctus propagationis habere licet, impendunt. Referamus tantum animalium instinctum nidos aedificandi quatenus ex hoc certa directio curae, quam pullis impendere solent, apparet, porro incubationis instinctum avium, nutritionem sobolis per parentes etc. Imo phaenomena amoris infantum, quem homines ostendunt ad propagationis instinctum reducenda et initio nihil quam manifestationes necessitatis organicae sunt, cui quidem conscientia summa cum perspicuitate imperat.

CAPUT II.

DE INSTINCTUS PROPAGATIONIS CAUSIS.

§. 8.

Si causas meditamur, quibus instinctus propagationis originem debet, in internas et externas dividi posse videmus. Causae internae sunt sensus ex evolutione, energia et vita exaltata organorum sexualium prodeuntes, quibus et conscientia, finem eorum in generatione cerni, et studium huic fini satisfaciendi vitae organicae necessitatem imprimunt. Causae vero externae incitationibus varii generis nituntur ex perceptionibus sensuum organorum proficiscentibus, quibus concupiscentia quod ad propagationem, nimirum instinctus sexualis, provocatur. Generatim ubicunque propagationis instinctus apparet, causae tam internae quam externae adsunt; causas tamen internas tunc tantum

agnoscere possumus, si formatione hermaphroditica foecundatio spontanea efficitur, et appropinquatio organorum sexualium utriusque generis, sine praegressa organorum sensuum perceptione, per sensationem vitae illarum partium exaltatae locum habet. In homine autem solo memoria voluptatis, quae expleta qualibet libidine animali excitatur, ipsaque libido instinctum sexualem elicere videtur, quod accuratius exponere psychologorum est.

A. De internis instinctus sexualis causis, procreandi organismi incitamentis ex semet ipso.

§. 9.

Propagatio, ut vidimus, in animalibus sexualitate praeditis actione materiae genitricis virilis in muliebrem, sive foecundatione, perficitur. Materia genitrix virilis semen, muliebris ovum variis sub formis est. Moles eorum, quae in partibus ad parandam et asservandam materiem genitricem utriusque sexus destinatis, conformantur, sensum turgoris et molem evacuandi nimum excitat. Ita res sese habet in maribus omnium animalium in quibus turgor testium et seminis abundantia, cujus perceptio ad dolorem usque evehi potest, instinctum sexualem primitus evocat. Animal cupiditatem sentit, secreti molem expellendi, ut pristina euphoria reducatur; simul autem instinctu compellitur, seminis excretionem coitu efficiendi. In femellis etiam animalium, ubi magnus ovarum numerus extra alvum maternam foecundatur, v. c. in plurimis piscibus et in ranis, nihil aliud nisi moles eorum, quae formata sunt, coenaesthesin femellae offendit; ovarium turgidum ven-

trem extendit et viscera comprimit, quare in his quoque casibus instinctus sexualis formam imitatur nisus aliquid evacuandi; anus igitur piscium dilatatur ejusque orae intumescunt. (Cf. Gnersent in Dictionnaire des sciences médicales Paris 1812 — 23. LX. vol. 8. p. 554.). Ut comprobemus, quantopere causa materialis, turgescencia sc. testium et abundantia seminis ad instinctum sexualem in masculis animalibus evocandum conferat, haec exempla adjiciamus. Tempore ardoris venerei ductus spermatici astaci fluviatilis, alias vix manifesti, albescunt atque tumescunt. (Conf. Roesels Insectenbelustigungen. Nürnberg 1746 — 61. Bd. III. S. 330.). Piscium testes illo tempore ita expanduntur ut ventriculum et tubum intestinalem e situ normali depellant et ventrem inflent. (Cf. H. Rathke, Beiträge zu der Geschichte d. Thierwelt. Danzig 1820 — 25. Bd. 2. S. 135.) Avibus testes veneris tempore eum in modum tumescunt, ut verbi causa in anate boschate, alias sex lineas longi et duas lati, lineas octodecim in longitudinem, quatuor in latitudinem pateant. (G. G. Tannenberg de partibus genitalibus masculis avium Gotting. 1789. p. 10.). In passere rustico, cujus testis lineae dimidiae diametrum habet, veneris tempore linearum sex longitudinem quatuor latitudinem adaequat. (Johu Hunter observations on certain parts of the animal oeconomie London 1786. p. 37.) Quod mamalia attinet, turgor testium vesicularum seminalium et glandulae prostatae praesertim in nonnullis observatur enormis, ut in cervo, c. tarando, c. capreolo, talpa europaea, criceto vulgari; nonnullorum glirium testes renum magnitudinem veneris tem-

pore superant; minus evidens turgor reperitur in equo, ariete et aliis quibusdam mammalibus (Cf. l. c. Hunter p. 37), quamquam in his, etiamsi castrationi submissis, vesiculae seminales aut prostata tumescunt. (J. F. Blumenbach Handbuch der vergl. Anatomie Gotting. 1805. S. 430.) Saepe per humorum turgescen-
tiam post testium exstirpationem nonnullis in animalibus v. c. in bove et ariete, si veneris tempore coitum appetunt instinctus sexualis apparet, neque minus in hominibus castratis, quam ob rem principes orientales eunuchis suis quoque penem amputari iubent.

§. 10.

In femellis autem animalium calidi sanguinis instinctus propagationis non a producto jam praeformato vel a materie quadam secreta, sed ab ipso sanguine orditur, neque ad evacuationem sed ad formationem internam tendit, quae demum ordinatur et ad novi organismi principia concentratur, quum semen virile in corporis muliebris interioribus foecundationem efficit; proinde sanguinis congestio in femellarum libidine prae-
valet. Avibus tunc oviductus orificium amplificatum est, in cloacam magis prominet et a fissura propius abest; orificium ani, alias magis retractum, hoc tempore contrariam rationem ostendit. (G. Spangenberg disquisitio circa partes genitales foemineas a vium. Gotting. 1813. c. Tab. p. 37.) Labia cloacae rubent, calent, tument, muco oblecta et plana, alio tempore magis plicata sunt; adhibito tactu fibrarum muscularium oscillatio interna animadvertitur; clitoris valde tumescit et prominet. (Spangenberg l. c. p. 27.) In mammali-

bus femellis congestio sanguinis ad ovaria observatur, vesiculae ibi positae colorem saturiorem fere nigricantem offerunt et proprius ad superficiem accedunt. (Cruikshank in philosophical transactions Lond. 1665 sqq. c. t. A. 1797. p. 198.) Inprimis earum vesicularum numerus, qui cum pullorum generandorum numero justam circiter rationem alit, mirifice mutatus invenitur, etenim pellucidae sunt, multis vasis cinctae et inflammatae, ita ut pressae facile sanguinem edant. (Burdach l. c. B. 1. S. 372.) Porro oviductuum ostia velut inflammata apparent, uterus sanguine turgēt, parietes ejus crassiores sunt, villi tubefacti et elongati, muci secretio admodum adaucta. (J. C. G. Joerg, Grundlinien zu einer allgemeinen Physiologie des Menschen, 1. Bd. Leipzig 1815. S. 173 — 177.) Praesertim inferior pars oviductus eum labiis pudendis, magis minusve inflammata, valde sensibilis, rubra, calida, tumida, prominens et mucō perquam odorifero, quem incitamentum generandi externum praebere, infra dicemus, tecta reperitur. Ob congestionem sanguinis ingentem saepe haemorrhagia accedit ut in canibus, equabus, vaccis, bubalis, viverra zibetha, praecipue in simiis ut simia turcica, Inuo cynomulgo Geoffr., simia maimone et mormone, quam ab rem nonnulli scriptores, hancce haemorrhagiam menstruationi mulieris humanae analogon existimaverunt.

§. 11.

In ultimo et penultimo paragrapho diximus, prima instinctus sexualis exordia omnium masculorum et femellarum eorum animalium, in quibus magnus ovorum

numerus extra alvum maternam foecundatur, in cupiditate cerni, molem formatorem evacuandi; apud femellas animalium calidi sanguinis autem exordia illa in sanguinis abundantia et congestione ad partes sexuales posita esse vidimus, ita ut animalia simul cognoscant, illam humorum abundantiam, materiae egenitricis virilis actione limitatam, ad illum locum deferri, quo per vim plasticam ad producendum novum individuum conferat. Verum quoque in masculis animalibus veneris tempore saepe sanguinis congestiones observamus, imo ad eas partes quae, a systemate sexuali longius distantes, inter coitum seu foecundationem actione quadam insigniuntur, ita ut hasce congestiones ad excitandum instinctum sexualem non minoris esse momenti, quam seminis in testibus et vesiculis seminalibus depositiones, quin adeo nonnullis in animalibus velut momentum causae hanc depositionem antecedere existimari possis. Sic apud ranas masculas veneris tempore in facie inferiori extremitatum anteriorum e verrucis ibi positis tumores evolvuntur turgescences, quibus incitati mares indagant femellas, ut faciem abdominis femellae apprimentes, sensum in verrucis vigentem demulceant. Hoc inter externam foecundationem et coitum, qui esse videtur, horum animalium evenit, si quidem mas, dorso femellae insidens latera hujus extremitatibus anterioribus verrucas illas habentibus comprimit, simulque semen in ova per femellae cloacam procedentia spargit. Hallerus (elementa physiologiae Lib. XXIX. sectio 1. §. 10.), hosce femellae amplexus in batrachiis id molieri opinatur, ut ova propellantur. Quod ad aves, sanguinis congestio magnus ad pectus et laryngem huc

referenda videtur, qua non solum ad cantum clariorem et singularem invitantur, sed etiam femellae alliciuntur, quibus conspectis haud dubie distinctus demum coeundi nisus excitatur. Hoc extra omnem dubitationem poni videtur in tetraonibus, praesertim tetraone urogallo, etenim congestiones sanguinis vitam in pectore et larynge ita exaltant, ut animal, sensu quasi inebriatum, vix in arboris ramis se sustinere possit et sonum illum peculiarem edat, cui venatores proprium nomen „Balzen“ assignarunt. —

§. 12.

Quem admodum vero, ut vidimus, ad excitandum instinctum sexualem femellae animalium calidi sanguinis congestionibus indigent, quemadmodum apud mares depositioni seminis, quae propagationis instinctum provocat, affluxus uberius sanguinis boni, ad sanam secretionem idonei, versus spermatica vasa praecedere debet, ita omnia, quae transitorium sanguinis impetum ad hasce partes efficiunt, instinctum sexualem suscitant. Hic est instinctus sexualis ex incitatione interna mediata, quem apponimus ei, qui immediate ex organismo interiori secundum leges existentiae ejus evolvitur. Argumenti iustarum primum multa remedia et nutrimenta recitemus, quorum usu masculis animalibus erectiones penis, femellis erectiones clitoridis et labiorum pudendi efficiuntur simulque totius corporis habitus excitatam coeundi cupiditatem prodit. Hunc effectum in hominibus ova avium et sturionis, gelatina animalis, tuber cibarium et alii quidam fungi, ostreae, pisces, venatio ad putredinem vergens, varia aromata, ut

crocus, cinnamomum, vanilla aromatica, ex medicamentis moschus, opium, phosphorus, quorum ingens efficacia in systema nervorum respicienda est, purgantia drastica ut aloe, gummi gutti, porro remedia systema uterinum specificè afficientia, ut galbanum et sabina, diuretica, quotenus vasorum vitam in renibus et vesica exaltant, prae omnibus cantharides, producunt. Quod ad animalia attinet, oscinum instinctum sexualem excitat semen cannabis, columbarum vicia nigra, equorum secale cereale et hordeum semine cannabis mixtum, taurorum et vaccarum potus farinaceus cum placenta seminum lini et cum semine carvi, ovium semen cannabis cum allio et sale. (Burdach l. c. Bd. I. S. 390.) Neque minus congestiones sanguinis versus pelvis viscera in morbo haemorrhoidali, siquidem homines, ut ad veneris exercitium adaptentur, glutaeos sibi flagellari jubent. (Haller l. c. Tom. VII. Lib. XXVII. Sect. III. §. 8.) Suspensis, in quibus cohibito sanguinis impetu ad caput, viscerum abdominalium, praecipue pelvis vasa opplentur, paullo ante mortem penis erectiones et vehemens coeundi cupiditas supervenire dicuntur; hominibus etiam amputato femore, quoniam sanguis primo post operationem tempore in vasis, quae a femoris vasis proxime absunt, accumulatur, ingens veneris libido exoriri traditur. (H. Boerhaave Lehrsätze von der Erkenntniss und Heilung d. chirurgischen Krankheiten, mit v. Swietens Commentar. Dresden u. Leipz. 1749 — 55. Bd. II. §. 205.)

§. 13.

Hic non alienum esse videtur, nonnulla de sub-

stantiis referre, quibus ad excitandam venerem majores nostri et orientis incolae utebantur, imo hi etiamnum utuntur. Si certum respicimus effectum, quem philtro sic dicta et aphrodisiaca praestare putabantur, ita ut amor individui, quod illa hausit, ei conciliaretur, absquo praebebantur, superstitiosis opinionibus adnumerandus videtur. Quod ipsa attinet remedia, quibus hunc in scopum utebantur, partim nervorum et vasorum systema excitantia fuerunt medicamenta, quae materia medica adhuc aphrodisiacorum nomine designat et quorum in §. superiori mentionem fecimus; partim superstitio ad substantias teterrimas confugiebat, quarum ne effectus quidem excitans in sexualem instinctum, si discedamus ab efficacia, quam in singulare individuum exserere putabantur, cogitari potest. Antiquitus v. c. adhibebatur secretum mucosum quod partes sexuales muliebres equae et suis tempore veneris edunt et cui nomen „ἵππομάνες“ fuit. Neque minus substantia, vernici caseosae infantum recens natorum analogae, ab equis neophytis desumpta, residuum spissum liquoris amnii, praecipue inter labia oris aut circa os collectum, saepe autem deficiens, cui jam Aristoteles figuram caricae parvae nigricantis, compressae, ante frontem positaе, adscribit, quod autem nostrates pabulum equi „Pferdenahrung“ vocant. (Naturgeschichte des Pferdes von E. d'Alton 1. 2. Weimar 1810 — 16.) Haec quoque substantia hippomanes appellabatur. (Aristoteles historia animalium edid. Schneider. Lips. 1811. tom. II. lib. VI. cap. XVII et XXII.) Non solum vero antiquioribus et orientis incolis ars damnifera, quamquam haud dubie vana, innotuit, virorum, quos

mulieres libidinosae appetunt, ardorem incendendi; apud nos etiam mulieres existunt, quae talibus remediis, virorum dilectorum amorem sibi conciliare, student. Notum est artificium vetularum et meretricum virorum amorem, ut putant, sibi comparandi, dum frustulum panis aut sacchari, vel sudore suo, vel horrible dictu, sanguine menstruo impraegnatum porrigunt.

B. De externis instinctus sexualis causis, incitamenti procreandi foris acceptis.

§. 14.

Expositis propagandi incitamenti, quae in organismo animali interiori, per motum quendam internum et evolutionem, quae organismi vivi notionem efficit, sua sponte, tamquam necessariae manifestationes existentiae animalis, instar aliorum corporis desideriorum, explicantur, transeamus ad incitamenta propagationis externa, quae in excitatione, rerum externarum perceptione inducta, cernuntur. Quae accuratius consideraturi, animum attendimus ad instinctum sexualem, tamquam productum incitationis per sensus externos. Causae enim hujus instinctus, ut supra retulimus, duplices contemplandae sunt, primum nimirum omnes motus sexuales, qui seminis et ovorum formatione evolvuntur, deinde manifestatio concupiscentiae quod ad explendam libidinem sexualem, quae perceptione sensuali obsectorum distinctorum, tamquam voluntas distincta, sese prodit, dum animal libidini satisfacturum, sensibus suis ductum, sexui contrario obviam fertur, instinctus autem sexualis, causis internis provocatus, tantummodo velut sensus obscurus voluptatis se manifestat.

§. 15.

Nonnulli scriptores eas instinctus sexuales causas, quae sensuum organorum perceptionibus foris adveniunt, psychica procreandi incitamenta vocarunt. Recte quidem, si meditamur, magnam vitae animalis extensionem, quam psychicam nominamus, nihil est nisi productum perceptionum sensuum instrumentis foris acceptarum, quae per haec ad sensorium commune reflectuntur, in quo omnes actiones psychicae tunc eveniunt. Concupiscentia autem princeps vitae psychicae est momentum, illud sc. quod maturrime in regno animali apparet et in animalibus superioribus pro vinculo vitae mere animalis cum psychica haberi potest. Necessaria est concupiscentia ut vita animalis tam individui quam speciei, illius sc. ciborum assumptione, hujus autem propagatione, efficiatur. Utroque in casu ea percipiuntur objecta, quae concupiscentia appetit et quibus suscitatur, per sensum externum, cujus quinque eradiationes, specificis qualitatibus perceptionibus dicatae, plerumque sensus externi vocantur. Quibus rebus sententia nostra, quam sub harum pagellarum exordio proposuimus, instinctum sexualem nihil esse nisi instinctum nutritium sensu latiori, quod ad speciem, haud mediocriter comprobatur. Visus, olfactus, auditus, tactus, imo gustus, praegressa organismi alteratione, ex hoc ipso profecta, non minus instinctum sexualem excitant quam instinctum nutritium provocant. Quodsi hos sensus eatenus consideramus, quantum praegressa perceptione, instinctus sexualis per eos excitatur, eisdem pro majori minorive actione in-

ter causas instinctus sexualis hocce ordine enumerare licet: 1) visum, cui proximus, haud vero subordinatus, 2) olfactus apparet, quippequi saepe multo magis excitet quam visus; 3) auditum; 4) tactum; addenda est perceptio, quae, pro singulari sensus externi modificatione habita, per papillas nerveas linguae et partium genitalium, praesertim glandis penis et clitoridis, quae sensus gustatorii et sensus sexualis nomine impertitur, nihil nisi quaedam tactus modificatio nobis esse videtur.

§. 16.

Visus fere in omnibus animalium classibus, quibus sexus segregatus est, instinctum sexualem excitat, adspectu enim sexus alter in alterum agit. Adspectus roboris et vigoris, corpus masculum exornantium, femellam eo magis ad venerem invitat, quo magis typus virilis exquisitus apparet; altera parte adspectus formae muliebris mollioris, rotundioris, plenioris marem incitat, eo fortius quidem, quo magis typus muliebris in femella apparet excultus. Proinde quod ad homines attinet, vir perhorrescit viragines, mulier autem eum odit virum, qui effeminatus quidem, sed decoris muliebris expers, sexus potioris malus est interpret. Idem de mammalibus dicendum est, etenim femellae coitum denegant maribus, qui viritiae attributa v. c. cervus cornua, amiserunt. In hominibus excitatio per conspectum sexus oppositi in utroque sexu satis valida sit licet, in animalibus autem femella maris adspectu plus videtur excitari, quam mas femellae. Huic opinioni omnia certe phaenomena favent, quae veneris tempore in maribus observantur iisque potentio-rem vi-

ritiae et vigoris effigiem impertiunt. Huc pertinent: color vegetior, splendidior avium masularum, piscium, tritonum multorumque insectorum; crista dorsalis tritonum masulorum, cornua cervi veneris tempore amplissima, quae paulo post dejiciuntur, multae aliae res in facto positae. Quod ad homines amor, quatenus effigies est cupiditatis nobilioris coitum exercendi, facilius potiri videtur muliere, etiamsi forma viri minus quam ejus character sexum suum repraesentat. E contrario vir plerumque tantum mulieris amore capitur, cujus forma oculos delectat eoque modo ad physicum formositatis usum invitat; itaque mulieris amor magis est idealis.

§. 17.

Olfactus eximium instinctus sexualis incitamentum praebet. Materiale utriusque sexus connubium, quod ad procreandum novum individuum requisitus et ultimo generationis actu, coitu nimirum, ad organicam sexuum coalitionem evehitur, per olfactum transpirationis animalis perceptione primum indicatur. Olfactus igitur, quod ad propagationem, non minoris momenti est, quam quod ad ciborum assumptionem. Quod in hisce pagellis aliquoties diximus, propagationem pro nutritione sensu latiori esse habendam, certius confirmatur, si sensus olfactorii efficaciam in functiones sexuales consideramus. In toto regno animali olfactus ad excitandum instinctum sexualem potentior est in mare quam in femella. Quum autem olfactus ad cibos capiendos acriter iuvitet, vel ab iis arceat; ratio inter mulierem et virum esse videtur, ut mulier quasi pabulum sit viri

ad servandam speciem, mediante coitu, sive ciborum assumptione sensu latiori. Medium, quo instinctus sexualis per olfactum excitatur, mari praeter cutis transpirationem femellae specificam, veneris tempore majorem, quae etiam ex vita adaucta et alterata procedens, apud mares, v. c. aprum, cervum tarandum, vulpem, hircum etc. evidentissima apparet, secretum praebet quod veneris tempore partes genitales femellae mammalium edunt. Cervus enim contra ventum semper ad femellam accedit, ut transpirationem ejus olfaciat, sin femella fugit, collo porrecto oreque aperto consistit et fugientis halitum cum libidine ducere videtur. (Burdach C. c. B. 1. S. 391.) Quodsi hircus a libidine alienus capram adit insolito tempore libidinasum, statim hircus in venerem ruit odoremque specificum edit. (Fr. Cuvier Annales du Muséum national d'histoire naturelle Paris 1802 — 13. XX vol. 4. c. tab. vol. IX. p. 125.) In mammalibus tempore veneris praeter cutis transpirationem magis vaporosam et auctam genitalium muliebrium secretionem, non raro in glandulis propriis specifica secretio variarum materiarum odoriferarum locum habet, quae etiam instinctum sexualem excitare videntur et de quibus in §. sequente disseretur. Transpiratio et materia sebacea, vel oleosa, quae in cute secernitur, in hominibus etiam utrumque sexum allicit. Viri ceterum casti mihi affirmarunt, nihil magis animum suum ad veneris usum excitare, quam si mulieres iuvenes ab ipsis tam prope absint, ut earum transpirationem olfacere possint. Orientis principes concubinas ex odore vestimentorum eligunt, quae postquam sub sole puellarum sudore impraegnata sunt, coram iis ex-

panduntur. Imo in *Cantico Canticorum* (cap. IV. v. 11.) locum legimus, quo amator halitum vestimentorum amasiae suae, cum Libani odoribus comparat, quod quidem pii interpretes, qui carmen eroticum inter libros sacros recipi posse, nunquam opinati erant, pro collaudatione munerum ecclesiae Christianae habuerunt. In avibus, quibus nullus est sudor, etiam secretio cutanea, per vitam veneris tempore exaltatam, adaucta, instinctum sexualem excitat, id, quod in multis quoque amphibiiis evenire videtur, etsi in his glandulae peculiare, substantiam odoriferam secernentes, reperiuntur, quarum functio veneris tempore adaugetur. Quod ad ranas, ipse halitus ovulorum in ovariis muliebribus conditorum, priusquam evacuatur, marem ad foecundationem invitare videtur; certe ovula ex ovariis resumpta, egregias praebent illecebras, quibus rana esculenta capitur. De piscibus (G. R. Treviranus l. c. B. II. Abtheilung 2. S. 25.) putat, incitationem olfactus per transpirationem femellae specificam illud esse, quo mares compellantur, ut, dum femellae ova pariant, in earum vicinia commorentur et ova foecundent. In vertebratis quoque animalibus, in quibus generatio hermaphroditica inter complura individua locum habet, veneris tempore perspiratio largior et odoris specifici existit, qua haud dubie individua inter se ad perficiendum generationem alliciuntur. Limaces tempore veneris cicutam redolent. (Haller l. c. tom. VII. lib. XXVII. sectio III. §. 3.)

§. 18.

Multis in animalibus reperiri glandulas, quarum secretum odoriferum, veneris tempore largius et gravius

quam aliis temporibus edatur, eo haud dubie consilio, ut eius odore instinctus sexualis exciletur et sexus alter ad alterum arcessatur, supra retulimus. Huc pertinent folliculi glandulosi elephantis tam masculi quam muliebris, in regione temporali sub cute positi, quorum ductus excretorius circa tempora inter aurem et oculum conspicitur. (Perrault mémoires pour servir à l'histoire naturelle des animaux T. III. P. 3. p. 138; haec scripta inveniuntur in „Mémoires de l'Académie des sciences avant 1699.“ — P. Camper description anatomique d'un Elephant mâle. Paris 1802. fol. Pl. 10 Pl. 11.) Haec glandula capitis humorem secernit adiposum, glutinosum, odoriferum, qui ut Strabo, Arrianus aliique veteriores tradunt, veneris tempore multo largius fluit, magis quidem in mare quam femella. Hoc in liquore causa cernitur, quod apes, ut veteres tradunt, elephantis caput circumvolitant. Neque minus glandula ad occiput cameli posita, veneris tempore laticem odoriferum, fuscum, viscidum secernit, qui largo super cervicem defluit. (Savi in Notizen aus dem Gebiet der Natur- und Heilkunde von Froriep, Weimar 1822 ff. Band XI. S. 41.) Glandula in pene vulpis posita, humorem viscidum grati odoris secernit, qui veneris tempore tam copiosus exstat, ut pili ambientes flavo colore tingantur. Glandulae quae apud Myogalen moschatam Cuv. circa caudae radicem jacent, tempore quo in venerem ruunt animalia, substantiam largiorem et gravius olentem secernunt. Easdem glandulas Pallas (Acta nova Petropolitana 1781 tom. II. p. 329) apud Myogalen Moscoviticam, adipe spissiori, fragrantiori, Zibetho simili impletas reperit. Didelphis quoque marsupialis

tempore veneris per glandulas cutaneas, circa pectus sub macula flava positas, materiem rubellam, adiposum, moschum redolentem secernit. In ungulis ruminantium, foveae sebaceae, veneris tempore smegma cutaneum, gravioris odoris edunt. Neque minus suspicamur, secreta glandularum infra orbitam in utroque latere nasi positarum, apud Vespertilionem murinum et noctulam, apud Myrmecophagam didactylam (Tiedemann Physiologie des Menschen B. I. Darmstadt 1830. S. 416.); substantiam allium redolentem glandularum sebacearum faciei Arctomyos marmotae, materiem, teste Azara, caryophyllos redolentem, in sacco glanduloso foras hiantem supra dorsum *Dicotylis torquati* et *labiati* (Tyson in philosophical transactions Lond. 1683 p. 359 t. 1. fig. 3. et 4.), secretum glandularum analium, aut rotundiuscularum aut ovalium, circa finem intestini recti sub cute et sphincteribus ani positarum, apud plurima mammalia fera, prensiculantia et masurpialia, de quibus plura apud Tiedemannum (l. c. B. 1. S. 417 — 19) leguntur, secretum pomadinum et caseosum apparatus proprii *Hyaenae*, et masculae et muliebris, qui in fissura transversa, inter anum et caudam posita, ad marsupium, tunica musculari cinctum, ducente, quod quatuor glandulas magnas uvatas et lobatas includit, constat (Daubenton in Buffon histoire naturelle tom. IX. p. 287. pl. 28. et 29.), substantiam fragrantis odoris, in folliculo glanduloso inter anum et partes genitales posito, secretum apud mares et femellas viverrae et mephitidis, moschum in sacculo moschifero, *Moschi moschiferi* secretum, quo tamen mas tantum insignitur (Pallas spicilegia zoologica Berol. 1774 — 76, fascic. 13. p. 39.

tab. 6. fig. 4. 8. 9. 10.), castoreum apud utrumque sexum Castoris fibri, paratum in quatuor folliculis glandulosis, quorum in utroque latere duo juxta saccum cloaciformem, in quem partes genitales et anus patescunt, sub stratis muscularibus cutis resident (Perrault l. c. P. I. p. 141. pl. 20.), substantiam lacteam, moschum redolentem apud Fibrum zibethicum ondatram, quam duo sacculi pyriformes, ante ossa pubis siti, secernunt (Sarra sin sur le rat musqué in Mémoires de l'Academie des sciences, an 1728 p. 323), secretum folliculorum glandulosorum sub praeputio Criceti vulgaris, Muris ratti, Muris musculi aliorumque prensiculantium, materiem flavidam, adiposam, foetidam, quae apud Leporem timidum in fossa inter penem et anum, vel inter hunc et vaginam posita, et a glandula ovali, in utroque lateri genitalium externorum locata, secernitur (Wepfer Ephem. nat. cur. Dec. 1. Ann. 3. observ. 167.), denique secretum fovearum sebacearum magnarum, quae prope mammas nonnullarum Antilopis specierum v. c. apud marem et femellam Ant. orycis, ubi Perrault (l. c. Tom. III. P. 1. p. 98) et apud Antilopem dorcadem, ubi Daubenton (Buffon h. n. Tom. XII. p. 251. pl. 24. fig. 1.) descripsit, inveniuntur, sicut humorem flavidum, foetidissimum in glandulis sebaceis marsupii Didelphidis Virginianae (Vic. d'Azyr Oeuvres Tom. V. p. 334.) paratum, quum omnia secreta nominata, veneris tempore uberius edantur, eum habere usum, ut animalia, nervorum systemate per volatile principium illarum substantiarum excitato, ad coitum exercendum compellantur.

§. 19.

Apud aves bursa, sic dicta Fabricii, et glandula uropygica loco glandularum analium, mammalibus propriarum, fungi videntur, etenim hae quoque humorem glutinosum secernunt, quem, odore gravi et fragrante insignem, inprimis Fulica, Colymbus, Alca, Uria, Ardea, veneris tempore largissimum exhibent. Apud amphibia etiam, variis in corporis partibus, glandulae existunt, quae praesertim veneris tempore, materiem adiposam vel oleosam, graveolentem secernunt. Apud Crocodilum niloticum, Cr. gangeticum, Cr. acutum Cuv., Cr. galeatum, Cr. lucium, duo folliculi glandulosi in cute, ad latus internum maxillae inferioris positi, reperiuntur, materiem adiposam, moschum redolentem, secernentes, quae per ostium ad cutem emergit et jam ab Arabicis scriptoribus Crocodilo nilotico adscribitur. (Tiedemann u. Oppel. Naturgeschichte des Crocodiles. Heidelberg 1817. S. 34.) Maximilianus, princeps Neovindensis (Beiträge zur Naturgeschichte Brasiliens B. 1. Weimar 1825 S. 84.), exhalationem Crocodili scleropis veneris tempore maxime odoriferam esse narrat. Circa anum etiam crocodilorum glandulae deprehenduntur, quae substantiam odoris moschati conficiunt. Inter pholidotes squamatos (Blasius Merrem Tentamen systematis amphibiorum Marburg. 1820.) hae species: Gekko platyurus, G. aculeatus, G. triedrus, G. tuberculatus, G. maculatus, G. verus, G. vittatus, G. sputator, G. Cepedianus, porro Basiliscus, Iguana, Polychrus, Uromastyx, Zonurus, Tejus, Lacerta, Tachydromus, nec non Scincus sepiformis et Sc. Sloanei, juxta internum latus femoris, seriem folliculorum glandulosorum undecim-vi-

ginti quatuor exhibent, qui verno tempore irruente venere, materiem adiposam, satis largam edunt, cujus odor gravis, peculiaris apud *Lacertam agilem*, *montanam*, *muralem*, *sericeam*, *croceam*, *foeni* similis est. Delineationem horum folliculorum *lacertae croceae* obtulit *Sturm* (*Deutschlands Fauna Abtheilung III. Nürnberg 1828.*). Ex ophidiis *Vipera*, *Boluber*, *Boa*, *Python*, *Crotalus*, *Anguis* circa caudam pone cloacam duos habent sacculos longos utriculares, musculis interpositos, quorum ductus excretorii in cloacam hiant. Apud *Columbrum natricem* hosce sacculos plenos inveni humore lacteo, nidorem ingratissimum exhalante, allium redolente, cujus odor veneris tempore tantus est, ut semel animalis latebras eo detegerem et duo individua inter coitum deprehenderem. (Cf. *Tiedemann l. c. B. I. S. 426.*) Quantum humores odoriferi varii, qui in glandulis cutaneis, vel alios corporis partes tenentibus, apud *Salamandros*, *Bufones*, nonnullas *Testudines*, v. c. *Testudinem odoratum* et *Pensylvanicam*, apud multa insecta, inprimis *Coleoptera*, secernuntur, exhalato nidore, utrumque sexum ad generationem excitent, non dirimam; latex enim lacteus in glandulis auricularibus *Salamandrae maculatae*, auctore *Tiedemann* (*l. c. B. I. S. 427.*) hiberno tempore inter asphyxiam, non modo uberrius secernitur, sed tunc etiam *Jasminum* maxime redolet. Quod ad papiliones *Burdachii* observationem supra retulimus.

§. 20.

Quod instinctus sexualis excitationem per auditum attinet, si nimirum specificam auditus affectionem pro

generandi incitamento habemus, de vocibus animalium disserendum est, quae vel veneris tempore tantum audiuntur, vel mutantur, in utroque sexu aut consonae, aut aliae in maribus, aliae in femellis animadvertuntur, et sexum utrumque ad perficiendum coitum alliciunt. **Affectio auditus**, efficacia, quam voce mutata alter sexus in alterum exserit, non tam evocat instinctum sexualem, id quod visu et olfactu efficitur, quam, si ille instinctus per evolutionem internam, per turgorem universum et vigorem vitalem expergefactus est, connubii sexualis adjumentum praebet. Inter sensus igitur, qui generandi incitamentum suppeditant, auditus inferior est visu et olfactu. Ea etiam, quae nobis obtruduntur, si sensus pro excitationis modo, in ideales et reales seu materiales dividimus, cum hac opinione congruunt. **Auditus omnium sensuum maxime est idealis**, objectum perceptionis ejus, quam minimum materiale, coitus autem conjunctio utriusque sexus summe materialis. **Vox animalium**, veneris tempore singularis, alteri animali alterius locum indicat, animal igitur per auditum, si maximus in venerem impetus jam adest, ad eum allicitur locum, ubi desideriiis suis satisfacere potest. **Vox animalium expergefacta venere clarior**, mulata, multifariis modulationibus excellit, quas aucta vitae actio efficit. Per hancce vitam adauctam, magnae sanguinis congestiones ad pectus et laryngem inducuntur, insolitus sanguinis turgor in hisce partibus animal impellit, ut, si antea mutum erat, sicut serpentes et saurii, vocem claram edat; in animalibus, quae solito more voces emittunt, ut in avibus et plurimis mammalibus, alterata et exaltata vita respirationis et vocis organorum

mutationem sonorum producit. Animal inscium sensuum tumultum, qui veneris tempore incenditur, voce debet manifestare, est enim cupiditatis indicium, commisso coitu, pristinam quietem recuperandi. Voce edita, animal animalis viciniam sentit, minime vero invitamenta unius, v. c. maris, instinctum sexualem alterius, nimirum femellae, suscitant, nisi haec ipsa in venerem ruat; eodem vero tempore femella etiam sanguinis congestionibus ad pectus et laryngem afficitur, voces edit et audita maris voce ad locum properat ubi hic moratur. Instinctus igitur sexualis prius adest quam illa evitamenta, et si quod animal veneris tempore alius voces percipit, instinctus sexualis non provocatur, quippe qui jam existeret. Exaltari quidem coeundi desiderium videtur, si animal auditu certius redditur, eundem tumultum, quem in semet ipso sentit, alterum quoque sexum subiisse. In his cerni videntur primordia affectionis psychicae animalis per instinctum sexualem, quae affectio in homine ad idealem necessitudinem duorum individuorum sexus diversi evehitur, cujus causae in mutuo amore positae sunt, qui potentissimam in vitam psychicam exserit efficaciam; hoc autem fieri nequit, nisi existeret analogon sublimius variarum vocum animalium, quae veneris tempore eduntur, nimirum per susurrum amatorium et sensuum mutuationem inter duos amantes. Haec etiam nos edocent, auditum, omnium sensuum maxime idealem, quod ad generationem attinet, vix non psychicam evocare affectionem. —

§. 21.

Tactus quoque incitamenta ad evocandum et exaltandum instinctum sexualem conferunt. Tactus varias habet modificationes, quae gradu magis, quam indole, differentes, nihil sunt nisi eradiationes unius sensus, cujus organon cernitur in nervis cutaneis, in papillis nerveis linguae, digitorum extremorum, partium genitalium. Quod ad tactus manifestationes, specificè inter se distinguunt autores, sensum tactus stricte dictum, sensum gustus seu linguae, sensum cutis, sensum perceptionis voluptatis sexualis seu sensum penis. Quas singulas tactus modificationes, eo ordine contemplemur ut eas quae si excitentur, maximam efficaciam ab uno sexu in alterum exserunt, primo loco ponamus.

§. 22.

Tactus in specie, quatenus in singulari acie, per papillas nerveas digitorum extremorum, sentiendi, consistit, solis hominibus proprium esse videtur. Apud hos igitur instinctus sexualis excitatio manifestissima est, si dictum organon cum corpore sexus alterius contactum init. Cuique viro veneris desiderium excitatur, si manu, mulieris amatae, manum tangit, multo magis, si digiti, super mammas, scapulas, cervicem mulieris labuntur earumque mollitiem, rotunditatem, elasticitatem sentiunt. In toto regno animali frustra circumspicimus tactum adeo exquisitum, ut in homine. Simiarum digiti magis acuminantur, ungues paullatim falculis similes redduntur, extremitates anteriores reliquorum mammalium quae pro manibus iis utuntur, non ad tangendum sed ad capiendum et retinendum adhi-

bentur, quam ob rem his animalibus excitatio instinctus sexualis per tactum adscribi non potest. Elephantis proboscis, quam multi haud dubie perperam pro tactus organo habuerint, quod ad generationem omnino considerata venit, quoniam mas, si veneris tempore ad femellam accedit, eius collum et cervicem proboscide amplectitur. Haec vero excitatio magis sensu cutis communi, quam tactu singulari effici videtur. Rostra aliorum mammalium ut Nasuae, Tapiri, Suis, per tactum, vel parum, vel nihil ad excitandum instinctum sexualem conferunt. In rostro avium et amphibiorum, in quo nonnulli tactus organon cerni putarunt, nihil est, quod instinctum sexualem evocare aut exaltare possit. De avium osculationibus, quibus libidinem manifestant et veneris desiderium inter se adaugent, infra disseretur. Hellmann (über den Tastsinn der Schlangen. Göttingen 1817.), linguam anguium pro tactus organo habet; sibila linguae, quae in multis serpentibus et sauriis observamus, quibus lingua non brevissima et simplicissima est, ut hydrae et crocodili, aut linguae raninae similis et praedae captandae inserviens, ut chamaeleonis, ad eundem locum, quo avium osculationes, referenda sunt. Gastropoda priusquam coeunt, ut instinctum sexualem exaltent, tentaculis multifariam sese contrectant; apud Lymnaeas illud individuum, quod maris loco fungitur, tentaculorum contactu, et sibi et alteri individuo adulatur. Insecta etiam et arachnides tentacula miscent corporaque sua invicem demulcent (Burdach l. c. B. I. S. 479.) Apud araneam masculam superiores antennarum articuli, eodem modo quam apud muliebre sese habent, quartus vero arti-

culus infundibulum exhibet, cujus ex apertura, quintus, instar cochlearis, prominet, in cujus concavitate corpus rotundum, membranaceum, circa apicem pluribus hamulis et cartilaginibus spiralibus obsessum, residet. Hocce organon appropinquante utroque sexu tumescit et masculus vicissim unam alteramque antennam in aperturam sexualem muliebrem inserit, donec instinctus sexualis utriusque individui maxime exaltatus est, et coitus ita perficitur, ut aperturae sexuales amborum individuorum sibi invicem admoveantur. (G. R. Treviranus über den innern Bau der Arachniden, Nürnberg 1812 m. K.) Nordmann etiam (Mikrographische Beiträge zur Naturgeschichte der wirbellosen Thiere, Berlin 1832 B. II. S. 114.) circa lernaeas observavit, marem antennas suas in partes genitales muliebres inserere.

§. 23.

Sensus cutis incitamenta ad excitandum instinctum sexualem potentissima sunt. Ista locum habent, si corporis superficies unius sexus, majorem per ambitum alterius sexus superficiem tangit; ut plurimum sexuale connubium intimum antecedunt et inter copulam adaugent voluptatem, quae hunc vitae animalis actum comitatur. In animalibus, quibus tegmentum modo cutaneum et molle est, vel e pilis aut plumis constat, aucta coeundi cupiditas, quae, excitato cutis sensu, ab uno sexu cum altero communicatur, manifestissima apparet. Apud homines igitur et mamnalia nihil magis sexualem cupidinem excitat, quam contactus, quem individua sexus

utriusque ineunt. Phaenomena nonnulla, quae, mutuum instinctum sexualem cutis sensu excitari docent, afferam. *Lytta vesicatoria* mas, ante coitum alvo sua femellae alvum blande ferit (Burdach l. c. B. I. S. 480.); pisces inter se ventres terunt (Froriep Notizen B. XII. S. 51.); aut femella capite maris caput verberat (Harvey exercitationes de generatione animalium etc. Amstelodam. 1641 p. 147). Tritones capita invicem sibi admovent, masculus cristam erigit, dextrorsum et finistrorsum agit et cauda curvata femellam ferit (Spallanzani Versuch über die Erzeugung der Thiere und Pflanzen a. d. Franz. v. Michaelis. Leipzig 1786 S. 60.). *Salamandra exigua* mas, caudam antrorsum incurvat, celerrime motat, tunc femellam verberat (Amours des Salamandres aquatiques et développement du têtard de ces salamandres depuis l'oeuf jusqu'à l'animal parfait par M. Rusconi. Milan. 1821. fol. av. planches. S. 28.). *Salamandra platycauda* mas, ad latus femellae consistit, cauda aquam verberat, tunc proprius accedit ipsamque femellam cauda ferit (Rusconi l. c. p. 29). Testudines ante coitum caput capite fricant; columbae irruente venere plumas capitis et colli rostris mutuo adornant (Burdach l. c. S. 480). Huc etiam pertinet mutua excitatio helcis et parmacellae per sagittam amatoriam, quae dicitur. Apud homines, ratio incitationis per tactum sensu strictiori et per cutis sensum haec est: incitatio per tactum magis est idealis, quemadmodum tactus ipsa potentior et sublimior modificatio sensus cutis, actionem enim psychicam inducit. Mens viri formam pulchram capit et miratur,

meditatur de ea, si digiti super membra formosa mulieris venustae labuntur, desiderium ea potiendi e formositatis cognitione prodit. Incitatio autem, cutis sensu impetrata, si brachium molle amasiae, viri collum amplectitur sinumque suum pectori ejus admovet; potentissima est libido, totum viri corpus penetrans, omnes meditationes arcens. Vir non amplius meditatur, non miratur, amasiam esse formosam nescit, nihil sentit nisi cupiditatem, expleta venere, quibus consumitur, flammam exstinguendi.

§. 24.

Incitamenta singularis modificationis tactus communis, quam in pene virili et genitalibus muliebribus, praesertim in clitoride observamus, et cujus summum fastigium voluptatem sexualem producit, quam maxime instinctum sexualem commovent. Apud mammalia mascula, frictiones et contrectationes penis, vel extra veneris tempus, erectiones et tantum coeundi cupiditatem efficiunt, ut, v. c. canes corpora inanimata ad exstinguendam libidinem conscendant. Quantopere vestitus augustior, genitalia irritans, instinctum sexualem maturat, puerosque ad masturbaciones compellat, quantumque attentionis scriptores paedagogici huic rei impenderint, inter omnes constat. Quicumque penis stimuli praeternaturales, pruritus etc. efficiunt, ut balanorrhoea, herpes praeputialis, instinctum sexualem exaltant. Huc ea quoque pertinent, quae Amerigo Vespucci de singulari tradit incitamento, quo mulieres insularum Indiae occidentalis utantur, ut mares ad coi-

tum invitent, cui traditioni inprimis Girtanneri sententia de syphilidis ortu Americano superstructa est. *)

Neque minus hac referenda est selacitas inexplabilis, urethrae profluvia comitans, quae in lepra Asia-tica locum habent et pruritum intolerabilem orificii urethrae et glandis efficiunt. Erectiones autem penis frequentes et coitum exercendi cupiditas, quibus blennorrhoeae urethrae stipantur, a sanguinis copia per diathesin inflammatoriam in partibus genitalibus adaucta pendet. De libidine venerea e sanguinis nimia quantitate et turgore alibi disseruimus; simili ratione penis erectiones oriuntur, si calculi urinales, molimina haemorrhoidalia, penis vulnera irritamentum afferunt. His tamen in casibus nervorum incitatio non praetermittenda est, neque in iis, quibus auctore Hallero (l. c. tom. VII. Lib. XXVII. sectio 3. §. 8.) post enematis calidi applicationem erectiones penis accedunt, quae ad seminis ejaculationem evehi possunt. Mulierum

*) *Sommario di Amerigo Vespucci, Fiorentino, di due sue navigazioni al Magnifico Signore Pietro Soderini, Gonfalonier della Magnifica Republica di Firenze. — Le Donne (percioche sono sopra modo lussuose) per sodisfare à lor dishoneste piacere, usano questa crudelta, che danno à bere agli nomini il succo d'una certa herba, il qual bevuto, subito si gonfia loro il membro, e cresce grandemente, e se questo non giova, accostare al membro certi animali venenosi che lo mordano in fin che gonfia, onde avviene che appresso di loro molti perdano, i testicoli e diventano eunuchi. — Abhandlung über die venerische Krankheit von Dr. Christoph Girtanner. Mit Zusätzen und Anmerkungen von Dr. L. E. W. Cappel, Göttingen 1803. 8.*

clitoris magna excellit sensilitate, etenim irritatio ejus venerem potentissime excitat. Hallerus (l. c. Lib. XXVIII, sect. 2. §. 20.) femora, ait, tremiscere mulieresque ita exattari, ut nihil amplius viro denegent, si clitoris titilletur. Ingens hujus partis sensilitas, haud dubie causam continet commercii venerei, quod inter si alunt mulieres, quod veteres amorem Sapphicum sive *ῥλειτοριάζειν* vocabant, et quod auctore Parent-Duchâtelet, adhuc inter meretrices Parisienses existit, quae tunc Tribades appellantur. In regionibus calidis, v. c. in Aegypto, clitoris adeo sensilis est, ut vestibus tactu erigatur. Ut, quominus mulieres inter se amplexus venereos exerceant, impediatur, haud dubie multis orientis populis consuetudo est, puellis recens natis clitoridem vel excidendi, vel ex parte amputandi, qua de re Hallerus locos apud Actium, Moschionem, Suidam, Avicennam, Abulcasim, Borgarrucium, Chabertum, Vesalinum, obvios laudat. Irritationes etiam mammarum, imprimis papillarum; quum erectiones efficiant, instinctum sexualem concitant, id quod evidentissimum est, si intimum consideramus nexum quae mammae earumque functiones cum partibus genitalibus et cum generatione alunt.

§. 25.

Locus hic esse videtur. de osculando nonnulla opponendi. Constat osculum in contactu, cum blanda inspiratione juncta, labiorum, quae ob insignem vasorum nervorumque copiam, tactus organon sublimius constituunt. Burdach (l. c. B. I. S. 480,) de osculo haec habet: „er ist das Symbol der Vereinigung der Seelen;

analog der galvanischen Berührung eines positiv und eines negativ electrisirten Körpers, erhöht er die geschlechtliche Polarität, durchbebt den ganzen Körper und trägt, wo er unrein ist, die Sünde von dem einen Individuum auf das andere über.“ — Haecce verba egregie depingunt indolem osculi, quod etiam sententiam nostram, hisce in pagellis saepius scriptam, instinctum sexualem esse instinctum nutritium, propagationem vero nutritionem in extenso admodum confirmat. Magni ad stabiliendam nostram sententiam momenti esse videtur, ut illud, quod et sexualis excitationis effigiem sistit et utrumque sexum ad summam libidinem incendit, nimirum osculum, in eo ponatur, ut os ori quasi affigatur. Os autem exordium canalis est nutritii, quippe quod nutritionis opus inchoet. Quis ergo dixerit, partes haud exiguas, quas osculum, cujus naturam modo definivimus, inter coitum agit, non nisi esse accidentales? Si coram muliere adamata, cupiditas eadem perfrueudi, totum corpus inflamat, nonne desiderium potest appellari, amatam in nos quasi suscipiendi, cum ea coalescendi, prae amore et voluptate eam comedendi, quod desiderium ita manifestatur, ut amatam osculis obruamus, quae flammis flammam incendunt, donec os ori affigatur, ortoque intimo conubio summa cum dulcedine omnes percant sensus. Si amentia non indole sed limite tantum, ab ea animi conditione differt, quam sanam vocamus, exemplum notatū dignissimum est, quod Metzger (System der gerichtlichen Medizin, herausgegeben von Remer, Leipzig u. Königsberg 1830. Auflage 5. S. 486.) tradit, quippe quo amor vere furibundus ad anthropophagiam evehe-

batur. Juvenis rusticus in pago quodam Bohemico, tanto amore amplectebatur puellam, ut saepius, se ipsam comesurum esse, affirmaret. Quum altero post nuptias mane, juvenes pagi ad expergefaciendos novos conjuges accessent, ante januam clausam clarum oris sonitum audivere, editis acclamationibus non desinentem. Quum nemo responderet, januam perfregerunt maritumque conjuge sua vescentem viderunt, cujus brachia et mammas ex parte consumserat. Furibundus acclamationibus non obtemperavit, sed, qui eum divellere conabantur, verberibus persequabatur, quam ob rem, quum nullo modo ab opere posset arceri, telo sclopetario interficiebatur. Poetae indolem osculi passim mirifice interpretati sunt, inter recentiores praesertim Goethe *) et Byron **). Quod animalia attinet, plura osculo analogia reperiuntur, imprimis apud aves; columbae, corvi, cornices tempore veneris osculationes agunt, simulque chymum inter se communicant; serpentes ante et post coitum sibilent linguasque implicant. Quemadmodum juvenis quidam, amoris furore actus,

°) Gierig saugt sie seines Mundes Flammen,
Eins ist nur im andern sich bewusst.

°°) Lord Byron Don Juan Canto II V. CLXXXVI.

A long, long kiss, a kiss of jouth, and love,
And beauty, all concentrating like rays
Into one focus kindled from above;
Such kisses as belong to early days,
Where heart, and soul and sense in concert move,
And the blood's lava, and the pulse a blaze,
Each kiss a heart-quack — for a kisses strength,
I think it must be reckon'd by its length. —

amasiam comedebat, ut modo retulimus, ita Chloromys mas veneris tempore femellae cervici magnum vulnus morsu infert, neque minus Felis fera (Burdach l. c. B. I. S. 480.) Denique sententia nostra eo etiam confirmatur, quod lingua, gustui dicata, a nonnullis, teter-
 terrima libidine corruptis, ad persentiendam voluptatem sexualem adhibetur. Mentionem facere liceat vocis „cunnilingus“ apud Martialem obviae, res enim quae hac voce significatur haud dubie ab hominibus prostratae morum castitatis, omnium saeculorum atque popu-
 lorum exercetur. —

V I T A.

Otto Theophilus Joannes Mohnike, fidei evangelicae addictus, natus sum Sundiae, anno **MDCCCXIV**, patre Theophilo regia consiliariis, qui res administrant sacras, matre Carolina, e gente de **Stucker**, quos adhuc superstites pio amore prosequor. Primis literarum rudimentis imbutus, gymnasia et Sundense et Züllichoviense, ad annum **MDCCCXXI** frequentavi. Tunc Gryphiam me contuli, ubi primum stipendia voluntarius per annum feci, dein, nactus testimonium maturitatis academicae, a rectore magnifico t. t. Ill. **Barkow**, inter cives universitatis Gryphiensis acceptus sum. Decanus spectabilis t. t. Ill. **Seifert** nomen meum in tabulas medicorum retulit. Gryphiae per annum et dimidium hisce interfui praelectionibus:

Ill. **Erichson** de logice et aesthetice; Cel. **Paldamus** de Catullo, Tibullo, Propertio; Ill. **Barthold** de historia universali; Ill. **Tillberg** de physice experimentalis et de calculo differentiali; Ill. **Hünefeld** de Chemia experimentalis et de mineralogia; Ill. **Hornschuch** de historia naturali universali et de zoologia; Ill. **Schulz** de anatomia et de physiologia corporis humani.

Autumno anni **MDCCCXXIII** Bonnam adii, ubi Rector t. t. magnificus Ill. **Brandis** inter cives universitatis Fridericiae Guilelmiae Rhenanae me recepit et Decanus spectabilis t. t. medicorum Cel. **Mayer** nomen albo inscripsit. Per biennium Bonnae hisce scholis interfui.

Ill. v. Calker de logice; Cel. Albers de encyclopaedia et methodologia medica; Ill. Ill. Mayer et Weber de anatomia corporis humani, de anatomia comparativa, de exercitationibus practicis anatomicis; Ill. Mayer de physiologia; Cel. Windischmann de physiologia generationis; Ill. Nasse de physiologia et pathologia cerebri et medullae spinalis; Ill. Goldfuss de zoologia et historia naturali mammalium; Ill. L. Treviranus de botanice excursionibus conjuncta; Nobiliss. a Riese de geographia physica; Ill. E. Bischoff de materia medica; Nob. A. W. a Schlegel de critice historiae Romanae antiquissimae et de grammaticae Germanorum; Ill. Kilian de supplementis et illustrationibus medicis juris criminalis.

Autumno A. MDCCCXXXV. Vratislaviam me contuli, ubi Rector t. t. magnificus Ill. Ritter inter cives universitatis Viadrinae me recepit, nomenque meum Decanus t. t. spectabilis medicorum Henschel in album retulit. Vratislaviae per annum et dimidium hisce interfui praelectionibus et institutis clinicis.

Ill. Benedict de fasciis et instrumentis chirurgorum, de chirurgia, de arte operandi; Ill. Henschel de pathologia generali, de dignoscendis morbis acutis, de historia medicinae; Ill. Braniss de psychologia; Ill. Remer de therapia speciali, de exanthematibus, de haemorrhagiis; Cel. Remer jun. de syphilide; Ill. Betschler de arte obstetricia; Ill. Gravenhorst de entozois; Ill. Otto de sectionibus forensibus instituendis. In clinico medico dux atque praeceptor mihi fuit Ill. Remer, in chirurgico Ill. Benedict, in obstetricio nec non in eo, quod muliebribus aegrotis atque

infantulis dicatum est, Ill. Betschler. Praeterea medici in clinicis assistentes Vratislaviensibus prof. D. Remer jun., D. Koehler, D. Burkhardt, D. Timpff, D. Schoenborn, D. Wendt maximum mihi praebuerunt adjumentum.

Mense Majo MDCCCXXXVII Berolinum adii, ubi Prorector t. t. Ill. Busch me recepit inter cives universitatis Berolinensis, Decanus t. t. spectabilis Ill. Wagner in tabulas medicorum meretulit. Interfui autem Berolini clinico chirurgico et ophthalmiatrico, quod duce Nobiliss. de Graefe floret, operationes ophthalmiatrices institui duce Exper. Angelstein. Quibus omnibus viris summas quas possum, gratias habeo semperque habebo.

Nunc spero fore ut, tentaminibus, et philosophicis et medicis, nec non examine rigoroso, rite peractis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur. —

THESES DEFENDENDAE.

1. Febris non est morbus.
2. Syphilis non ex America ad nos delata, sed in ipsa Europa, et quidem ex elephantiasi orientali orta est.
3. Inter fungum haematodem et medullarem nihil discriminis intercedit.
4. Generatio aequivoca nullo modo negari potest.
5. Quod Buffon dixit: „naturam nihil formasse quam individua eamque ob rem nullum valere systema,“ eo nihil inveniri potest verius.